

Heinrich Rahn

**Rector Universitatis Rostochiensis, Henricus Rhane, I.U.D. & Profess. P. Ad Exequias Quas ... pusioni Alexandro Nesen/ filio charissimo Parentes maestissimi parant. Cives suos ... vocat**

Rostochi[j]: Kilius, 1638


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770496288>

Druck Freier  Zugang




Rhane, H.,  
in  
A. N e s e.  
Rostock, 1638.

27







127  
RECTOR  
Universitatis Rostochiensis,  
HENRICVS RHANE,  
J. U. D. & Profefs. P.


AD EXEQVIAS  
Quas

Scitissimo pufioni

ALEXANDRO  
NESEN/filiolo chariffimo

*Parentes mafiffimi parant,*

Cives fuos hodie ad horam duodeci-  
mam in ædem D. Mariæ diligenter vocat,



ROSTOCHI,

Licenti NICOLAI KILII, Academ. Typograph.

ANNO M DC XXXVIII.



Vanta sit animo-  
rum diversitas etiam in  
simili fortuna, debeo  
vobis , Academiæ  
Cives, ex eadem causa  
exponere, quã L. Annæus Seneca o-  
lim , Clarissimus dicendi magister,  
faciebat. Cum n. ad exequias infan-  
tis mellitissimi ALEXANDRI Nesen/  
pro affectione in vos Parentis, litera-  
ti Senatoris, citare comitatum ac  
præsentiã vestram rogatus sim, exi-  
stimo , nec petentium voluntati  
me deesse, nec vestris ipsorummet  
commodis posse. Scilicet ante vobis,  
quã à me justa illa defuncto ac su-  
perstitibus persolvantur, isto, quem  
dixi, autore par aliquod magnorum  
hominũ, & quomodo illi circa suorũ  
funera sint affecti, proponam ; Mul-

to

to magis quia ad vitam simul atq; ad  
parentandum pertinet. Potamo ma-  
gnus fuit Mitylenis, & eodem tem-  
pore vixit, quo Lesbocles magni  
nominis, & nomini respondentis in-  
genij. Utriq; filij iisdē dieb9 decessit.  
Lesbocles scholam solvit. Nemo un-  
quam ampliore animo se gessit; Po-  
tamō à funere filij cōtulit se in scho-  
lam & declamavit. Nullum est du-  
bium, Academiæ Cives, alterum  
mollius tulisse fortunam, quam pa-  
trem decebat, alterum durius. Nam  
qui sic in dolorem rapitur, ut eodē  
illo gradu affligatur statim & succū-  
bat, nec profiteri sapientiam nec vi-  
ri nomen potest. Mulierum longe  
fortiores quam plurimæ extiterunt,  
quæ aut Philosophiæ præceptis aut  
sua indole excitatæ, humanis rebus

Rrr 2 de-



'decentem animum attulerunt, ut fe-  
rendo, quæ mutare non possent, eri-  
gerent sese ac firmarent. Nec vero  
tātum inter duos istos Philosophos,  
quantum inter Stoicos ceterosq; sa-  
pientiæ professos, sed longe plus in-  
teresse existimo quantum inter fœ-  
minas & mares. Alter enim sa-  
pientis partes deseruit prorsus & fu-  
gam fecit à seipso, cum scholam sol-  
veret; domi forsan ultra mulierem  
fractus, in lacrymas, in singultus, inq;  
indignissimum illud, ejulationes sc.  
criniumq; & sinus sui injurias. Alter  
vero & supra naturam attolli ac sa-  
pere, & in eo vim ostendere, quod  
Patrem exuere aut oblivisci faci-  
lè potuerit. Nam & vitibus natura  
lacrymas dedit, cum spes suæ accre-  
scentes inciduntur, & contrahunt se  
primo, quæcunq; etiam in lætorem

propaginem, à matrice avelluntur. Patris autem nomen, sicuti ex se affectus est, ita quam gignendo ostendit propensionem, eam refellere in tumultando non potest. Dilexit, ut filium susceperet; & quem suscepit, dilexit; magna enim cura & industria educare instituit. Famam simul, amicos & ceteras meliores aut quascunq; hereditates parando, adhuc dilexit, & testamento, quod diligeret, professus est. Cur ergo, quem post fata sua dilecturus erat, ante fata & sua & istius ipsius filii, aut odio illū, aut susq; deq; hoc est, minimè paterne habeat? Nisi lætitiā quidē ac voluptates naturæ esse, non item dolores, aut beneficia in liberos conferre, brevis admodum pietatis munus quodque ultra infantiam non transeat, existimare velit, tum vero se magnum cupiat ostendere, cū servare non possit, ipsamq; illam necessitatem cum stupidissimis in virtutis nomen vertere, ac desperatione sua fortitudinem mentiri. Imò nisi omnino, quæ olim legitima impietas filiorum in parentes duros ac sceleratos erat, ipse in optimos filios detestabilior, ejurare illos etiam videri cupiat. Nequaquam igitur placere gentilium rigor potest, qui ita tulisse suorum mortes commemorantur, ut eas plane ignoraverint; non exempla


patientiæ, sed vel monstra quædam vel ejus fa-  
bulæ. Rectius facient, qui naturam ducem se-  
cuti, nihil à se alienum putaverint, quod ex ipsa  
est, affectibus autem istam legem figunt, quæ ex  
sapiētis habitu profecta, neutro inclinare in ulti-  
ma, in luctu præcipue nec molliter & effen-  
nate, nec tamen ferrea quadam vi, sed aurea ista me-  
diocritate agi jubeat. Hæc est lugendi non tam  
permissa, quàm mandata ratio, intra quam, ex-  
emplis simul sanctorum Dei hominum, animi  
magnitudinem cum modo & per quam tuto  
continebimus. Filiorum ostensuri spes nostras,  
quod ad Dei gloriam suscepto, rei publicæ &  
Ecclesiæ destinavimus, neq; tam ipsorum causa,  
quam nostra lugeamus ut & eorū, quos afficere  
commodis aliquando potuissent. Omnino e-  
nim dividendus est luctus, ut partē auctori Deo  
cum filiis, si non omnem at multo maximam,  
velimus remittere nec ita angere, quemadmodum  
gentilibus necesse est, quibus nulla spes in resur-  
rectione est. Erit enim dies, neq; emanabit, quo  
omnes, qui dormiunt in pulvere terræ, evigila-  
turi sunt. Nullaq; fidelibus hora aut felicior,  
aut splendidior illucescet, quam cum corpori-  
bus suis redditi, quos præmiserunt, teneros im-  
primis innocentesq; vitæ partus suos, medio  
coeli-

coelitem choro mixtos deprehenderint, magnū  
istum Poëana vel, ut pie quanquam Græce dicā,  
*ἐπιτυχίον* illud atq; longum carmen Victori ac tri-  
umphatori JESU CHRISTO, nō amplius infanti sed  
plusquam coelesti ore ac divina voce concinen-  
tes. O istum gloriosissimum diem, ultraq; spes  
nostras, ultra desideria, ultra vota, & captum hu-  
mani ingenii, felicem ac beatum, quo omnium  
clamitatū oblitū, omnis terrenæ etiā maximæq;  
beatitudinis fastidientes, ad infinita gaudia &  
parem corporum nostrorum conditionem ipsi  
& in liberis nostris afferemus; tanto plus æternæ  
voluptatis participaturi, quo magis in plura cor-  
pora divisi, ex singulis & tota semper & tot vi-  
cibus replicata in nobis felicitate ac lætitiā  
perfruemur. Hoc est, moestissime Pater, quod  
ultra Potamonem aut Anaxagoram illum Cla-  
zomenium, homines de Schola, ultra Periclis,  
ultra Xenophontis illius Socratici, ultra Syra-  
cusani Dionis, aliorumq; fortissimorum virorū  
robur in ferendo quam acerbissimo filioli obitu  
firmare te potest, nec admittere, ut vel Tu vel  
conjux dilectissima, quanquam sexu ipso in do-  
lores tenerior, uxor tamen cōstantis viri, ad Les-  
boelis illius aut ullius fœminæ mollitiem defle-  
ctat. Quæ ipsa & commune hoc coelorum so-  
latium

latium ignorare, aut minus Christiane sibi in animum  
revocare nullo modo potest. Ut autem reliquas mu-  
neris nostri partes exequamur, significo vobis exe-  
quias non tam immaturi quam prorsus acerbissimi  
infantis. Qui patre natus est Prudentissimo, Doctis-  
simoq; Viro DN. JOACHIMO Nesen/ Reip. hujus Sena-  
tore spectatissimo, Matre ANNA Siebrandes/ foemina  
laudatissima. AVOS habuit JOHANNEM Nesen/ Civem  
& Mercatorem apud Gultrovienses primarium, &  
JOHANNEM Siebrand/ Amplifs. & Consulifs. Virum,  
per triginta quinq; annos, tum de Academia nostra,  
tum de patriæ Reipub. bene meritum. Cal Feb nuper  
vita defunctum; AVIAS, ANNAM Gerstenberges/ & AN-  
NAM SCHILLINGIAM, HERMANNI Cos. quondam  
Amplissimi unicam filiam. Ipse superioris anni Au-  
gusto Mense ad tertiam VII. ejus diei pomeridianam  
natus, postea Christo Servatori per lavacrum addi-  
ctus, & nuper eodem die, mensis decimi tertii vitæ  
suæ, redditus est. Cum ex destillatione vehementissi-  
ma, cuncta jam, quæ humanitus contigerant, perpes-  
sus esset. En brevem hominis ætatem & instar nubis  
transcuntem! En fallaces admodum & caducas spes,  
nostras! Ecce autem mortalium vices & nusquam tu-  
tam voluptatem. Ita scilicet florentem Nesen domum  
Fratre, Socero ac duobus jam liberis filiâ scilicet  
superiore Januario amissa, unus hic funestissimus  
annus exhaustit, & si unquam alias cum clade simul  
affert grande solatium, quia cū universo rapit omnia.  
Nos, quod est officij ac pietatis nostræ, faciamus, A-  
cademiæ Cives, atq; humanitatem præstemus iis, qui  
& affectu in nos, & exemplo humani sunt. Quapro-  
pter convenite hodie ad exequias & adeste  
frequentes. Ipsi B. V. P. P. XII. Sept.


1666











propaginem, à matrice avelluntur. P  
nomen, sicuti ex se affectus est, ita qu  
do ostendit propensionem, eam ref  
mulando non potest. Dilexit, ut fili  
ret; & quem suscepit, dilexit; magn  
& industria educare instituit. Fama  
micos & ceteras meliores aut quas  
ditates parando, adhuc dilexit, &  
quod diligeret, professus est. Cur e  
post fata sua dilecturus erat, ante fa  
istius ipsius filii, aut odio illū, aut sus  
est, minimè paterne habeat? Nisi læt  
ac voluptates naturæ esse, non item  
beneficia in liberos conferre, brevis  
pietatis munus quodque ultra infa  
transeat, existimare velit, tum vero  
cupiat ostendere, cū servare non pos  
illam necessitatem cum stupidissimi  
nomen vertere, ac desperatione su  
nem mentiri. Imò nisi omnino,  
legitima impietas filiorum in pare  
ac sceleratos erat, ipse in optimos  
stabilior, ejurare illos etiam vic  
Nequaquam igitur placere gentiliu  
test, qui ita tulisse suorum mortes  
rantur, ut eas plane ignoraverint; n

R113

